

S. b. 264

Bücher · Jhd.

J. VI, 887

~~*III. 145 J. IV. 10*~~

DISSE^RTAT^O PHILOSOPHICA PRIMA
DE
CAERIMONIIS
QVAM
AMPLISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHICAE CONSENSV
IN ILLVSTRI FRIDERICIANA
PRAE^SIDE
M. FRANCISCO CHRISTOPHORO IETZE
DIE APRIL. MDCCCLII
PVBLICE DEFENDET
AVGVSTVS GODOFREDVS BRVNNER
M A G D E B V R G E N S I S.



HALAE MAGDEBURGICAE
LITTERIS GRVNERTIANIS.

10

VIRO
SVMME VENERABILI
GRAVISSIMO
DOCTISSIMO
**IOANNI ADAMO
STEINMETZ**

RERVM SACRARVM CONSILIARIO,
REIQVE ECCLESIASTICAЕ DVCATVS
MAGDEBURGICI SVMMO ANTISTITI, NEC
NON COENOBII BERGENSIS ABBATI
LONGE MERITISSIMO

PATRONO ATQVE FAVTORI SVO
OMNI PIETATIS CVLTV PROSECVENDO

SCRIPTVM HOC DISPVVTATORIVM

EA QVA DECET ANIMI OBSERVANTIA

D.

A. G. BRVNNER.

VIR

SVMME VENERABILIS

PATRONE PIE COLENDE

OMAGA HANAOI
SITHMETS

CONSERARIO
SITTAUAS
SITTAUAS
MAMON



um magna ista, et multa beneficia, quibus me per longum annorum spatium complexus, et ad praesens usque tempus prosecutus es, tum inde tamquam ex uberrimo fonte derivata mea proclivitas ac aequitati respondens obligatio, ad grati erga TE, VIR SVMME VENERABILIS, animi mei significationem etiam publice dandam, mibi ut

TVVM

TVVM nomen huic dissertationi anteponam, summo iure praescribunt, postulant id, flagitant. Quamuis quidem copiosissime in praedicandis TVIS maxime in ecclesiam et rem publicam meritis, praesertim etiam in recensendis officiis amplissimis, quibus verae meae felicitati viam patefecisti, versandi, materia mibi haud posset esse; hoc negotio tamen eo lubentius supervideo, quo certius et exploratius habeo, non tanti apud TE fieri, verborum multorum facete alias compositorum splendorem, quantum valere solet apud TE, animus ab omni simultationis studio alienus. Largiaris tamen id meae in TE obseruantiae et voluntatis apertae impetui, vt ea memoria repetam, quae vltro se mihi offerunt. Quotiescunque curam istam insignem et plane immeritam, quam pro comparando mihi ad veram salutem aditu, iuuentutem meam non tantum humanioribus, per quinquennium in paedagogio celeberrimo Bergensi disciplinis, rerum salutarium cognitione bene conditis formando, sed etiam studii academicci absolutione facilitanda continuos suscepisti, cogitatione attingo, (cuius meminisse non prius desinam, quam viuere;) praeter voluntatem grati et memoris animi testem,

*ad remunerandum nihil mibi suppetere plane perspicio.
Atque hoc ipsum me alacriorem reddit, ad preces summo
Numini omni animi contentione fundendas, vt cumula-
tiori mensura studia TVA remuneretur, TEque in lon-
gius tempus ad multorum salutem veram promouendam
conseruatum velit et firmatum: qui ad cineres usque sum
permansurus,*

V I R

S V M M E V E N E R A B I L I S
P A T R O N E A E T A T E M C O L E N D E

N O M I N I S T V I

*Halaus Salicæ;
a. Idib. April. MDCCCLII.*

*cultor obseruantissimus,
A. G. BRVNNER.*



PRAEFATIO.

Scripturis nobis de caerimoniis animus praesagit, fore, vt ad omnium palatum non sint, quae circa hoc argumentum meditati sumus. Non enim nos fugit, rem esse in utramque partem disputatam. Quemadmodum vero omnibus controuersiis, quarum in causa sunt vel notiones confusae vel auctorum animi partium studio saepe in aliena queuis abrepti, hoc commune esse solet, vt votis non respondeat exitus; ita et disputationes de caerimoniis passim institutae hoc virtio laborant, vt reiiciatur a nonnullis, quod fanae rationi conforme iure locum tueri possit, ab aliis vero nimis tenaciter defendatur, quod vix opere pretium est. Controuersia praesertim inter Theologos agitata est. Nos vero falcam non immisuri in alienam segetem, theologicas controuersias intactas relinquimus, rem non nisi philosophice et generaliter considerando. Eam tamen nobis concedendam veniam esse putamus, vt, si quae caerimoniae in coetibus Christianorum sacris receptae ad illustrationem eorum, quae demonstratum ibimus, aliquid facere possent; earum recensio scholiorum instar hanc scriptiōnē ingrediatur, vt siūl appareat, non inutiles nugas aut subtiles speculations esse meditationes, quarum partem prima hac dissertatione luci exposituri sumus, sed doctrinā de caerimoniis certam utilitatem habere si ri-

te expendatur, et in iustum usum conuertatur. Ceterum modeste confitemur, nos non plenariam et omnibus numeris absolutam philosophiam caerimonialem praestituros esse. Nobis sufficiet certitudini studuisse, nec afferuisse, nisi quae rationi conformia comprehenduntur. Quae in prima hac dissertatione occurrunt, definitionem et quaedam generalia continent, quantum pagellarum angustia permittit. Propositum speciale in sequentibus exponemus dissertationibus, quas, volente Deo et occasione sic ferente, de hac materia edere apud nos constituiimus.

§. 1.

Id, ex quo colligitur, aliquid vel adesse, vel adfuisse, vel ad futurum esse, dicitur signum.

Sic vapores ascendentes sunt signum praesentis caloris. Ignis borealis in remotis illis versus septentrionem regionibus haud infrequens et satis iucundum phaenomenum, hyberno maxime tempore, pro signo instantis frigoris ab incolis habetur. Fluctus in maris superficie orientes placido maris et aeris statu nauigantibus signo sunt adfuisse tempestatem in regione opposita, ex qua ad nauem deuoluuntur vndae.

§. 2.

Id, quod ex signo intelligitur, est signatum.

Ita in exemplis (§. 1.) allatis, calor, instans frigus, tempestas, sunt signata, utpote ex quibus vel praesentia, vel praeterito, vel futuratio alterius rei colligitur. Ex quo haud difficile est intellectu, quid sibi velit diuisio in signa *demonstrativa, prognostica et memorialia*, in scriptis philosophorum passim obvia.

§. 3.

Ratio significatus est id, ex quo concipitur, cur signum aliud quod hoc et non aliud indigit. Haec ratio vel in ipsis rerum notationibus latet, vel in folo hominum aut alterius cuiusdam entis intelligentis arbitrio posita est. Si prius, signa sunt naturalia. Si vero posterius, artificialium nomine veniunt.

Signa

DE CAERIMONIIS.

5

Signa morborum, quorum medicorum semiotica aliqua tradit, aut affectuum, quae moralis semiotica docet, sunt naturalia, qualia etiam dici possunt, in §. 1. adducta. Tribus verbis comprehendemus: *Omnia signa sunt naturalia, quae in natura vel coëxistunt semper, vel se excipiunt, ut causam suas efficiunt.* Contra vero signa artificialia sunt voces in linguis et iis respondentes characteres scripti. Vis enim significandi a solo hominum arbitrio pender. Omnia praeterea, sive sunt a natura, sive ab arte producta, artificialium signorum numero sunt accensenda, quorum significatum in voluntate entis cuiusdam intelligentis rationem habere deprehendimus, ut ex definitione constat.

§. 4.

Axiomata prono alueo e definitione signi artificialis (§. 3.) fluentia, sua radiant luce: scilicet

- I) *Signa artificialia esse prorsus arbitraria, ideoque in se spectata ad quemlibet significatum indifferentia.*
- II) *Vni eidemque signo tribui posse diversos simul immo contrarios significatus.*
- III) *Eamdem rem diversis signis significari posse.*

§. 5.

Decernere dicimur aliiquid, quando voluntatem determinamus ad aliiquid agendum, vel non agendum. *Deeretur* itaque est voluntatis ad aliiquid agendum, vel non agendum determinatio.

Pone Caium, hominem aequem christianum ac diuitem videre iuuenem quandam eximiis et ingenii et animi virtutibus, quibus vero obstat res domi angusta, praeditum, haud vulgaris eruditio specimina edere, atque in animum inducere se velle haec obstacula remouere, et isti iuueni aliquam pecuniae summam dare ad libros emendos et temporis utiliter collocandum. Nonne quilibet dicer, Caium determinasse voluntatem addandum, ideoque ad agendum? Nonne hic decreti et quidem quam maxime laudabilis et optimi adest notio?

A 3

§. 6.

§. 6.

Propositorum est actus voluntatis, quo decreti executio determinatur. Executio vero propositi est editio illarum actionum, quas nobis committere propositorum.

Sic e. g. Caius propositorum habet dandi pecuniam decretam (§. 5.) si tempus indicat, quo iuueni disto ea solui ac tradi debet: exequitur, quae decreta, ac sibi proposuit, si statore re ipsa soluit. Differe autem decretum et propositorum, ex notionibus constat. Quis enim est, qui pro uno actu venditabit, determinare voluntatem ad dandum, et non mutare voluntatem dandi?

§. 7.

Actio positiva est, quae actu editur: priuativa vero cessatio actionis, quae edi poterat. Hinc decretum atque propositorum et actiones positivas et priuativas pro obiectione habere possunt (§. 6.).

§. 8.

Propositorum generale appellamus, quo certum actionum genus, vel earum certam speciem imposterum vel committere, vel omittere decernitur: Speciale vero, quod versatur circa commissionem vel omissionem singularis cuiusdam actionis.

Pone Caium sibi proposuisse virtuti omni data occasione imposterum studere, propositorum Caii generale est. Pone eundem firmo esse animo, temperantiam semper exercendi, itidem generale adest propositorum. Ast pone inuitatum alium ad coniuivium cepisse propositorum abstinendi ab omni vel saltim immodico vini haufu in praefentia magni cuiusdam viri, cuius gratiam, quam sibi conciliauit, eo ipso perdere posse praevidit: hoc propositorum speciale est. Eodem modo Christianus habet propositorum generale quatenus vii christianus concipitur, i. e. talis, qui studere sibi proposuit omnibus Christiano dignis actionibus et virtutibus.

§. 9.

Propositorum generale dici potest negativum, quo actionum quoddam genus vel species quaedam in perpetuum damnatur: Positivum

DE CAERIMONIIS.

7

festuum contra, si approbatur, et ad committendum semper determinatur.

§. 10.

Cum quod volumus, vel nolumus, et circa licitum et illicitum versari possit (per princ. psych.), inde constat: *Propositum sicuti et decretum in licitum ac illicitum abire posse.*

§. 11.

Intellectis hisce definitionibus axiomatum instar sequentes propositiones concedi possunt, scilicet

- I) *Nos decernere atque nobis proponere etiam posse actus intellectus.*
- II) *Quodlibet propositum componi pluribus actionibus, quae se habent ad illud exequendum ut media ad finem.*
- III) *Ritam propositi executionem absoluti omnibus iis actibus vel internis vel externis per quos in suo genere vel sua specie determinatur.*
- III) *Ei, qui propositum rite exequi vult, cognita et perspecta esse debere omnia ea, quae ad illud rite exequendum requiruntur, et quidem omnium data agendi occasione.*

§. 12.

Facultas, producendi perceptiones rerum sensibilium absentium, *facultas imaginandi*, seu *imaginatio* dicitur. Tertia est experientia, vt si quae sensu percepta anima, eorum perceptiones reproducere possit obiectis, licet absentibus. Lex vero imaginationis haec est, *vt, si quae simul percepimus et unius perceptio denuo producatur, imaginatio etiam producat perceptionem alterius, seu quod idem est: percepta idea partiali reproducatur et totalis.*

Sic si cui signum cum signato innovuit, conspectus signi reproducitur etiam signatum.

§. 13.

Rei meminisse dicimur, quando ideam eius imaginatione reproductam recognoscere valemus, consequenter nobis conscius sumus,

nos

nos eam olim habuissē. Facultas, ideas reproducetas rēcognoscendi, *memoria* est. Res vero illa, quae iam percepta perceptioni alterius reproducendae inferuit, eam nobis *in memoriam reuocare* dicitur.

Non immorabitur exemplis in re adeo manifesta. Definitiones et positiones caerimoniariarum notioni praemissae inferire debent eius adaequationi et demonstrationibus quorundam theorematum definitiōnem caerimoniariarum statim exceptuorū. Signorum vero amplior theoria sequentibus tractationibus reseruatur; in quibus eius applicatio ad caerimoniariarum doctrinam vñum præsentem sisteret.

§. 14.

Caerimoniae sunt signa eorum, quorum in executione propoſiti alicuius meminisse debemus.

Retinemus definitionem PERILLVSTRIS L. B. DE WOLFF, ne verbo quidem mutato. Non incumbemus hoc loco recensendis diuersis diversorum notionibus de caerimoniis conceptis, neque etymologiam curamus, qui notiones quaerimus rei termino indigitas. Forsan gratius erit leſtoribus, si in exemplis quibusdam generalem hanc notiōnem conficiendam tradamus. Primum exemplum ab actu doctoralis promotionis defumere placet. In plurimis nempe academiis vñum receptum est, vt qui doctorem creat, ipsi librum exhibeat primo aperatum, et eundem mox clausum, addita admonitione, vt quoties liberum aperiat vel claudat, memor sit officii, quod Doctori in omnibus negotiis, quae tamquam doctori gerit, incumbit, scilicet ne sibi soli sapere videatur, sed vt alios etiam consulat, et quid sentiant, scrutetur: deinde vero, ne a propria defissat meditatione, nec coeco assensu aliorum sententiam suam faciat, præiudicio auctoritatis sedulus. Examinabimus, an, quae in actu creationis fieri narrata sunt, caerimoniae nomine venire possint? Qui Doctor creatur, propositum quoddam habet generale, scilicet id semper agendi vel non agendi, quod vitae et dignitatis doctoralis ratio postulat. In huius propositi felici executione tempore meminisse debet, ne suis nimium tribuat viribus, et sibi soli sapere videatur, nec coeco assensu in aliorum verba iuret.

iuret. Constituitur itaque signum aliquod et quidem maxime aptum, liber scilicet et aetus eum aperiendi et claudendi, ut quoties librum arripiat, id quod omni die fieri praesumitur, aperiat vel claudat, memor sit eius, quod in publico creationis aetu ipsi commendatum est tamquam aliquid, cuius semper in executione sui propositi meminisse debet. Quis non videt, in hoc exemplo aedisse omnes caeremoniam constituentes notiones? Omnibus qui Christianorum gerunt nomen, mandatum Apostoli de induendo I. Ch. curae cordique esse debet. Ut tam magni momenti res hominibus, memoria labili praeditis, eo fortius commendaretur, signum constitutum ecclesia, quo viro quilibet facris christianorum initiatus memor esse possit eorum, quae circa propositum generale, quod ipsi tamquam Christiano incumbit, obseruanda sunt, nempe indusum album et mundum adhibebatur, quo infantes e sacra baptismatis fonte suscepisti solemni modo induuntur, ut quoties induimus adipiscant vel induant, id quod saepius fit, de proposto non solum, sed et de mediis ad illud exequendum necessariis cogitent, dum mentem ab omnibus peccatorum illecebris auertant, atque ad Christi Salvatoris exemplum vitam et mores componant. Encaerimoniam sensu maxime foecundam nec christiana ecclesiae indignam et sedulo docendam iis in locis, vbi ad nostra vsque tempora obtinet! In solemni infeudationis aetu, qui feudum sumit, genu flexo coram throno domini directi nudum gladium, ab hoc vel eius ministero illi exhibitum, oculari soler. Signum optimae relationem vtriusque parti exprimit. Infeudatus fidelitatem promittit domino directo, qui secundum primam feudi, praesertim maioris, originem ipsi securitatem praefstar, contra omnium hostium insultus, id quod gladio seu armata manu fieri debet, et olim factum esse censetur. Quare gladius, quo quotidie cinctus praesumitur infeudatus et aetus osculandi eius muorenem, commodissimum signum est, ipsi in memoriam reuocandi ea, quae circa propositum, quod tamquam vasallus cepit, recordari semper debet ad executioni eius rite studendum in officiis praesertim domino directo debitis, in quibus non ultimum locum occupat illud quo fidem dedit armorum non nisi in ministerium vel saltim non in damnum domini directi sumendorum. Et quoniama gladius simul memoriae ac menti suggestit motiva, quae in ipsam actionis determinacionem

B

nem

DE CAERIMONIIS.

nem influunt, nempe beneficia a domino directo aut eius praedecessoribus infeudato vel eius maioribus exhibita et imposterum in ipsum et posteros suos conferenda, hoc signum eo majori iure caerimoniam ingreditur, quo aptius et ingeniosius est excogitatum.

§. 15.

Qui definitionem admittit, sequentia concedet axiomata.

I) *Caerimonia sine signo est nulla.*

II) *Signatum signi caerimoniam ingredientis iis absolutitur, quae circa aliquod propositum exequendum factu et factu sunt necessariae.*

III) *Memoria et imaginatione gaudere debet caerimoniарum subiectum.*

§. 16.

Caerimoniae non sunt signa naturalia. Caerimoniae sunt signa eorum, quorum in executione propositi alicuius meminisse debemus (§. 14.). Ponamus, haec signa caerimoniam ingredientia esse naturalia. Sic in proposito et iis, quae circa illud exequendum meminisse debemus, tamquam in effectu aut re cum signo coexistente, aliquid esse debet, ex quo ad signum concludi posset. Hoc vero falsum esse, patet ex definitione (§. 6. et §. 11.). Ergo et falsum esset, si contenderetur, caerimonias esse signa naturalia.
Q.E.D.

§. 17.

Hinc sequitur, ut caerimoniae non sint, nisi signa artificialia (§. 3.).

Caveat, qui propositionem hanc legit, ne etymologia vocis artificialis influat in cogitationes. Aliud enim est id, quod signi vices supplet, aliud vero ipse significatus. Res, quae signum sit eorum, quorum in executione propositi alicuius meminisse debemus, potest esse a natura

DE CAERIMONIIS.

ii

tura producta, aut arte humana facta. Verum hoc non obstat, quo minus caerimoniae tantum artificialia sint signa. Sic candela in altari accensa dum eucharistiae sacramentum administratur, res est arte facta, sed nemo est, qui affirmabit in natura candelae situm esse, vt adstantibus altari in memoriam reuocet circumstantiam temporis, nocturni scilicet, quo coena sacra a Saluatore breui post tradito ad mortem instituta, quae influit in deuotionem mentis augenda et conservanda et multa alia represestet, quorum in executione propositi, quod dignam benedicti panis et vini mandationem et bibitionem pro obiecto haber, meminisse debent, qui ad coenam Domini accedunt. Pendebat huius signi electio ab arbitrio eius, qui candelas in hunc finem apponi voluit, secundum vero naturam candelae accensae nil amplius cogitare licet, quam vt res circumcleras visibiles reddat. Verum cum eucharistia plerunque tempore diurno celebrari soleat, absurdum esset, eo fine candelas accendere, vt noctis tenebrae dissipellantur. Pone, ante lucanam celebrari coenam, tunc candelae cereae in altari accensae lucem quidem simul diffundunt: attamen, si caerimonia cum eis connexa esse debet, primarius finis, qui est caerimonia, manet falso non obstante secundario, quo sit, vt templi pars simul illuminetur. Quando mane quis se lauat, qui firmum cepit propositum Christiano dignum se gerendi, ideoque exundi veterem induendique nouum hominem, animam a multis sordibus peccato contraxis purgando atque nouam vitam sequendo, quo propositum generale hoc medio promouetur: atque eo fine aquam aetumque lotionis signum velit esse huius propositi quotidie omni data occasione exequendi, aqua aetisque lotionis ipsi fit caerimonia per def. §. 14. Aqua autem est res naturalis, ex cuius notione neque ex lotione actiones circa propositum lauantis exequendum exhibitat minime deriari possunt, licet aliqua intercedat similitudo inter signum et signatum, quo fit vt aptior euadat caerimonia, prout siue loco offendit debet. Si quis dicit, vestes esse signa lapsus protoplastorum, eae nondum constituent caerimoniam, sed sunt prorsus naturale signum lapsus in paradyso. Verum si quas induit aut exiit, vestes, pro signo sibi ponit actionum quarundam, quarum in executione generalis propositi, quod cepit, verum se gerendi Christianum, meminisse vult; vt nempe

B 2

studea

studeat induendo nouo exuendo veteri homini ex mente Apostoli vestes ipsi caerimoniae sunt loco. Ex quo satis constat, signum caerimoniām ingrediens posse esse rem et naturalem et artificialem, signo licet semper artificiali manente.

§. 18.

Caerimoniarum signa admittunt res quascunque, sensibus tamen perceptibles. Caerimoniae enim sunt signa artificialia (§. 17.), quae cum possint esse res quaecunque sive natura sive arte factae, utpote significatus capaces arbitrii, nil obstat, quo minus in eam rem trahantur. Sed ubi caerimoniae supponunt in ente, cuius causa constituuntur, memoriam et imaginationem (§. 15. n. III.), hac vero posita ponit etiam debet sensibile (§. 12. 13.), inde constat, res ingrediētes caerimoniae signum non posse esse, nisi sensibus perceptibles. Q. E. D.

Si vñusquisque pro arbitrio suo eligere potest signum, quo viso memor sit et propositi et eorum, quae ad illud exequendum scienda sunt et facienda. Christiani veteres, qui persecutionibus variis in locis obnoxii, circa propositum, quod ceperant, in fide et constantia confessionis manendi, cogitare debebant de morte, quae a persecutoribus infligebatur Christi nomen proficitibus Quare postquam viri coepérant signo crucis, non tamquam ritu superstitioso, sed ut secundum Apostoli monitum: μνημένῳ Ἰησῷ Χριστῷ, semper memores essent vitae Christi dignae et beneficiorum immenso: una per mortem in cruce passam in eos, praefertim in futura vita redundaturorum, idem crucis signum maxime foecundum eos simul admonere potuit, ut in casu persecutionum prompti ac alacres essent ad idem crucis aut gravium supplicium si opus esset ineundum, utpote quod breues post dolores ad aeternam gloriam viam aperit, quam ascensu ad coelum Salvator post resurrectionem monstrauerat omnibus eum confitentibus. Non dicam de hoc signo tamquam medio revocandi in memoriam Apostoli monitum de carne crucifigenda cum prauis concupiscentiis. Ideoque signum crucis in caerimoniā genti christianaē non inutilem

aut

aut indecoram abibat, nec obstabat, quod esset supplicium feriorum. Neque nos negamus, posse res ceteris sensibus, e. g. auditu, gustu, odoratu percipiendas caerimonias per se spectatis inferire. Sonus campanae trahi potest in caerimoniam; ideoque signum artificiale adest; auditu tantum perceptibile. Nostrates christiani, sicut et fecerunt veteres, hoc signo vntunt certis diei vel noctis horis ad reuocandum in memoriam Apostoli de precibus continua monitum. Cuius generis etiam est mulica, quatenus caerimonia est, utpote auditu tantum percipienda. Satis exemplorum reprehendet, qui eorum cupidus acumen in scrutandis caerimonias vult exercere. Verum, quod anticipando monendum ducimus, non quodlibet signum aequa aptum et cominodum habendum est. Quamquam itaque signum per se consideratum ut artificiale, quodcumque caerimoniam ingredi potest, tamen ideo non negamus, unum signum alterum perfectione anteire; id quod suo loco explanatum dabimus.

§. 19.

Cum actus hominum externi inter ea referendi sint, quae in sensus incurront, non dubitandum est, eos etiam ad signa referri posse, quae caerimoniae notionem ingrediuntur (§. 18.).

Sic actus aperiendi et claudendi librum (§. 14.), ad signum referendum est, quo caerimonia in usum doctoris recens creati constituitur.

§. 20.

Cum caerimoniae sint signa artificialia (§. 17.), ideoque ad quemlibet significatum indifferentia (§. 4. n. I.) nil obstat, quominus caerimoniarum significatus vel extendatur, vel plane immutetur, ideoque in aliud diuersum ab eo abeat, quem primus instituens ipsis tribuit.

Exemplis non caret haec propositio in ipsa nostra ecclesia post reformationem obuiis. Nos ab iis adducendis abstinebimus, et tantum moribimus, hanc propositionem non destitui sua utilitate in diiudicandis

B 3 singu-

singularibus opinionibus, quas de caerimoniis Iudeorum in veteri testamento a Mo^ese institutis fouet *Spencerus* in libro de ritibus Hebraeorum sacris inscripto, in quo ex antiquitatis et historiae monumentis probare conatur multas huius populi, ad cultum diuinum pomposum et ritualem maxime proclius, caerimonias ab Aegyptiis esse defumtas, verum a Mo^ese in aliis significatum immutatas, adeoque ad bonos fines directas. Absit tamen, ut contendamus caerimonias quasdam iudaicas fuisse ethnicas. Cessante enim significatu ab ethnici signo cuidam imposito, cessat ethnica caerimonia. Quare, si concedatur *Spenceru*, signa quedam ab Aegyptiis originem trahere, inde non concludi poterit, iudeos habuisse caerimonias ethnicas, vsque dum probaueris, non signum solum sed et signatum ab Aegyptiis venire. Nec corrut, quae a multis doctissimis viris adstruitur sententia, qua assertur caeteras gentes, iudeis coaeuas, multos ritus ab his defumisse, atque in cultum idololatricum convertisse. Eadem tendentia sunt de ritu baptizandi profelytos apud iudeos iam ante sacramentum baptismatis institutum videntur, quem *Lighthfoot* in horis hebraicis et talmudicis apud hanc gentem vsu receptum fuisse, ex antiquitatis et historiae monumentis probauit. Nihil addimus, nisi exemplum caerimoniae in signo crucis constituta, cuius significatus mirifice potest extendi, sicuti in scholio §. 18. quoad potiora momenta ostendimus.

§. 21.

Quoniam porro diuersis signis artificialibus eadem res potest significari (§. 4. n. III.), et caerimoniae sunt signa artificialia (§. 17.): nil impedit, quominus plures caerimoniae vni eidemque rei significandae inferri possint.

Iudeis generale erat propositum cultum Deo gratum praestandi, circa hoc propositum legitime exequendum opus erat, ut semper memores essent Messiae futuri, redemptoris generis humani et mediatoris inter Deum hominesque. Quare non vna erat caerimonia, quae haec omnia, quorun de Christo in exequendo suo proposito generali ministrasse debebant, repraesentabat; immo non male ex mente plurimum

rum theologorum dici potest, omnes V. T. caerimonias typos fuissent, futuri tunc temporis Messiae. Quo vero non negamus quamlibet eorum diuersas de Christo veritates conspiciendas dare potuisse. Liceat alio vulgari exemplo propositionem illustrare. Ponamus aliquem, qui circa generale propositum, verum se gerendi christianum necessum ducit, saepe cogitare de exuendo vetere induendoque nouo nomine, et huius rei signum constituit vestes, quas induit vel deponit, aut aquam adhuc lotionis quotidianum: duo sunt signa, quae eandem rem significant.

§. 22.

Subiectum caeremoniarum non est Deus, sed finita intelligentia sensibus praedita. Caerimoniae supponunt memoriam et imaginationem (§. 15. n. III.) que cum non cadant in ens infinitum (per pr. metaph.), sed tantum entibus finitis sensibus instrutis, competant, evidens est, non Deum, sed tantum entia finita sensibus praedita caeremoniarum esse capacia. Q. E. prius. Praeter vero memoriam etiam propositum, et quae circa eius executionem memoriam subire debent, caerimoniae notionem ingreduntur (§. 15. n. II.). Iam vero ex notione propositi (§. 6.) constat, eius non esse capacia, nisi entia intelligentia. Quare et verum est, quod solae creaturae intelligentes caeremoniarum sint subiecta. Q. E. alterum.

Non abs re videtur, hanc propositionem ventilare. Si enim quaestio oritur: an praeter homines aliae sint creaturae, quarum natura caerimonias admittit? eius resolutio ab hac pendet veritate. Quare, si sententiam quorundam ecclesiae patrum ut et recentiorum philosophorum nonnullorum supponis, statuendo, angelos, quorum S. Scriptura facit mentionem, corporibus organicis licet subtilissimis praeditos esse, eorum natura caerimonias non respuit, si etiam in solidis astibus externas tantum eas consistere concedas (§. 19.). Si porro quod ex recentiorum astronomorum observationibus, analogiam planetarum cum terra testantibus, et attributis diuinis maxime verisimili-

liter

liter colligere licet, lunam et planetas habitatos creditimus, et quidem non brutis solum, sed et incolis corpore organico simul ac anima rationali praeditis, nonne et concedere debes, hisce planetarum incolis naturam esse, quae caerimonias admittat? In ipso beatorum coelo caerimonias inter sanctos esse possibles constat. Ex reuelatis quippe in S. Scriptura veritatis euidentibus est, homines mortuos in vitam reddituros esse corporibus cum anima coniunctis. Aderunt proinde omnia, quae requiruntur, ut sint caerimoniarum subiecta. Quis itaque simpliciter affirmare auderer, Sanctorum in coelo eam esse nataram, quae omnes respuat caerimonias. De possibiliitate differimus hoc loco, nondum de earum qualitate in specie, aut necessitate, de quibus suo loco,

§. 23.

Qui propositi executionem non plane emittere, multo minus contrarium eius agere vult, is eius semper memor esse debet. Propositio adeo euidentis est, ex ipsis propositi et memoriae notionibus (§. 6. 13.), ut axiomatis instar sine demonstratione accipi posset. Verum si per indirectum demonstrare velles, pone, e memoria excidisse propositum executioni dandum, vbi agendi offertur occasio, ideoque ignorabis actus ad obtainendum finem necessarios (§. 11. n. I. V.), confequerter eos vel plane negliges, vel etiam aliud eidemque contrarium ages. Quae omnia cum fiant ob lapsum memoriae (per hypoth.), sequitur, vt, qui propositi executionem nec plane negligere, nec alia eidemque repugnantia agere vult, eius semper meminisse debeat. Q. E. D.

Propositio generalis est, et de omni sine discrimine proposito valet, siue illud sit generale, siue speciale, siue negatum, siue positivum (§. 8. 9.), atque demonstrat necessitatem memoriae ad propositum exequendum relatae. Non opus est monere, nos non de absoluta sed tantum de hypothetica loqui necessitate. Ceterum qui ad hominum actiones obseruandas mentis intendit aciem, experientiae et rationis communium deprehendet; etenim quotidie fere eos proposito repugnantia agentes

DE CAERIMONIIS.

17

agentes eiusdemque admonitos audiet excusationem proferre, quod eius oblii ac immemores fuerint. Praeuidemus obiectionem, quae animum legentis subire potest circa hanc propositionem. Ssepe fit, is inquiet, vt homines probe memores propositi, vel id plane omittant, vel eidem contraria agant, serio licet moniti. Respondemus. Tunc obslanc impedita bene ac recte agendi, aut voluntas flectitur in contrarium, aliis motiuis inducta. Nofra propositio omnia ad executionem propositi requisita in agente supponit, excepta sola reminiscencia data agendi occasione. Hunc memoriae lapsum in omnem aetatem cadentem demonstrare superuacuum esset, vt pote quem abunde testatur experientia magistra,

§. 24.

Si propositum executioni dandum est, et eorum, quorum eius exequendi causa meminisse nos oportet, constituantur signum in sensu occurrenti, fieri potest, vt perceptio signi memores reddamur eorum, quorum recordatio ad propositi executionem requiritur. Ex notione enim signi artificialis (§. 3. et §. 4.) manifestum est, rei cuicunque pro arbitrio significatum imponi posse. Ergo etiam signum constitui potest, cuius signatum sunt ea, quae in executione propositi meminisse debemus. Cum vero isticmodi signum, quo significantur, quae circa executionem propositi aliquius scitu et factu sunt necessaria, eo ipso suum determinatum significatum accipiat ab eo, qui signum constituit (§. 3.), et per leges imaginationis (§. 12.) fieri possit, vt perceptio signi reuocet in memoriam omnia, quae per illud significantur (§. 13.): fieri certe potest, vt, si propositum executioni dandum est, et eorum, quorum in executione eius meminisse debemus, constituantur signum in sensum occurrenti eius conspectu memores reddamur eorum, quorum recordatio ad execendum propositum animum subire debet. Q. E. D.

Haec veritas extra omnem dubitationis aleam posita est, et immota manet, si nec ipsum caerimoniae nomen iam cognitum esset. Notiones
C
caeri.

DE CAERIMONIIS.

caerimoniae definitionem ingredientes (§. 14.) hic occuruntur. Nisi reliquum est, quam ut foetui intellectus nomen imponatur. PERILLIVSTRIS L. B. DE WOLFF, qui faciem nobis praetulit, caerimoniae nomen retinuit. Si nomini taediosus adhaereret conceptus, abiice illud, rem recte, vel si displicet utrumque, euerte huius propositionis veritatem contrarium demonstrando. Propositione ceterum, qua realitas definitionis (§. 14.) demonstratur vniuersalis est, et omne propositionum concernit. Sive enim sit generale, sive speciale, sive negativum, sive affirmativum (§. 8. 9.), non definet, quorum in executione eius meminisse debemus (§. 11.). Ipsum illicitum propositionum non excludi potest. Abste tamen, ut illicitorum executioni caerimoniis subueniamus, quin potius illa detestemur! Quae ex principiis indubitate a priori rationis visu cognosci possunt, ea experientia confirmata dabit ad mortalium actiones attentis. Videmus enim, hoc medio signorum homines promiscue omnes vii folere, ut animum subeant vel ipsum propositam, vel quae circa ritam eius executionem fecit et factu sunt necessaria. Ceterum si quae demonstrata proposicio continet, actionem humanarum relictudini inferire debent, ex parte agentis supponitur, ut non propositionum solum, sed et omnia, quae ad illud rite absoluendum requiruntur, saepius perpendat, et confuetudine sibi habitum acquirat, ea omnia conspectu aliquius signi, quod vel sibi ipsis constituit, vel ab aliis constitutum accepit, saepius sibi repraesentandi; alias enim signum visu et fructu destitutum maneret.

§. 25.

Cum non agere possumus proposito conuenienter, nisi eius probe memorē (§. 23.), consequenter et eorum, quorum circa illud exequendum recordari debemus (§. 11.), experientia vero et ipsa memoriae natura eius labilitatem abunde loquatur et demonstrat: necesse est, ut de medio solliciti simus, quo fieri possit, ut memoriae defectui consultatur, quo animum subeant ea, quorum in executione aliquius propositi praeprimis meminisse debemus. Istud medium absorbiunt signis artificialibus, quibus fieri potest, ut eorum intuitu memoriam subeant ea, quorum in executione propositi

positi meminisse debemus (§. 24.). Eiusmodi signa sunt caerimoniae (§. 14.). Ergo caerimoniae medium sunt propositi executioni rite satis faciendi.

Quoties itaque signorum caerimoniam ingredientium diuidicatio in quaestione venit, primum opus est, vt de fine solliciti simus, ad quem caerimonia se referat utrū medium. Cum enim ex fine iudicari possit de mediis, ex iis, propter quae signum constituitur, colligi poterit, quid de signo ipso sit statuendum. Magnae Britanniae reipublicae quam maxime interest, ut commercia florent ex lana et pannorum fabricis. Ne itaque Magnates in magno senatu, quem Parlamentum vocant, consilia capiant, et leges ferant, quae in detrimentum cedant commerciorum ex lana et pannis oriundorum, signum constituit prudens antiquitas, saccum nempe lana reservatum, cui insident, qui, quae decreta sunt, in chartam coniiciunt, eo fine, ut probe semper memores sint legislatores eorum, quorum circa propositum exequendum recordari ipsis sanctum esse debet, scilicet, ut nihil constituantur commerciis ex isto fonte deriuatis contrarium. Non opus est longa commendatione ad demonstrandum, hoc medium valde congruum esse fini, quem Magnates in senatu publico in oculis ferre debent. Liceat nobis aliud praeter illud exemplum in medium proferre, ex actu depositionis olim in academiis visitato, defumtum. Nemo est, qui negabit, proposito studiosi in academia degentis maxime obstat familiaritatem cum sexu sequiori. Ideo ipsi in executione propositi sui cogitandum semper est de abstinentia a nimia cum virginibus consuetudine. Ut haec memoriam omni occasione subiret cogitatio, depositor signum constituebat, quod caerimonia absoluebatur. Querebat nempe a deponendo, an possit nativo sermone romano describere virginem, e. g. fensem. Post multa tentamina tandem depositor addebat, virginem academicam significare: *Noli me tangere*, addita admonitione, ut in studio aca-demicō decurrente felix futurus, semper de abstinentia a texus sequioris nimia et illicita familiaritate cogitat. Non pluribus verbis opus est, ad demonstrandum, hanc caerimoniam conueniens ad finem esse medium; scilicet in memoriam re-

vocandi aliquid, cuius in executione propositi sui quam maxime memor esse debet, qui in academia versatur. Ne obice quaeſo, quod effectus non ſemper votis repondeat: Id enim non vitium caerimoniae, ſed agentis eſt, qui caerimonia non rite vtitur: nec crede, nos non approbare actus depositionis abrogatos. Quid ad nos abrogatio eiusmodi rituum, quam rationes ciuiles quam maxime fuadebant? Nobis tantum fermo eſt de caerimonia quadam individuali ex hoc depositionis actu defumto, in qua deprehendimus, quod illuſtrationi aſſertorum inſeruit. Sed hac vice

S A T I S.



94 A 7362

ULB Halle
001 840 606

3



96.





DISSERTATIO PHILOSOPHICA PRIMA

DI

CAERIMONIIS

QVAN

AMPLISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHICAE CONSENSV.

IN ILLVSTRI FRIDERICIANA

PRAESIDE

M. FRANCISCO CHRISTOPHORO IETZE

DIE APRIL. MDCCCLII

PUBLIC DEFENDERS

AVGVSTVS GODOFREDVS BRVNNER

M A G D E B V R G E N S I S.



HALAE MAGDEBURGICAE
LITTERIS GRVNERTIANIS.